

Viro
 Nobilissimo Doctissimoque
 Paullo Danieli Longolio
 f. p. d.
 Michael Richey.

Et mihi, et filio Fautorem tam benevolum tam eruditum
 gratulor. Literas exoscular, quibus amicitiam offers, mihi
 sane ultro ambiendam, quoad intelligo, quid optabile
 sit ac praeclarum. De transmisso exemplo Disseratio-
 nis gratias ago habeoque maximas, in qua egregie
 ostendisti, quantum doctrina valeas, et quid recto
 iudicio posis. Honorificam plane de te mentionem
 apud me fecit Schrammius, tuorum in se meritorum
 laudator haud ingratus. Ego vero, quem verbis
 nunc quidem significo, animum tui studiosissimum,

data quamprimum occasione, cuperem Tibi re ipsa
testatum facere. Certe nihil mihi accidet iu-
cundius, quam si de rebus Tuis bene merendo
efficere aliquando possim, ut non inanis Tibi
acquisitio noui amici videatur. Interim rogo
magnopere, vir humanissime, ut et fauere mihi
pergas, et amare filium meum, quem Tibi
spondeo nec bene monitorum impatientem,
nec recti exempli contemtorem. Vale.
Hamburgi, Sid. Id. Maii. A. dcccxxix.